

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS SECCOVIENSIS

PARS VERNA

Die 10 Martii

B. Joannis Ogilbaei

Martyris
Semiduplex

Oratio

Omnipotens sempiternus Deus, qui beatum Joannem Martyrem tuum, invictum fidei catholicae propugnatores effecisti; ejus nobis intercessione concede; ut fidei, spei et caritatis augmentum uberius in dies consequamur. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. XL Martyrum et Feriae.

Pro S. Mart.: Ant. Istorum est enim. V. Laetamini.

Oratio

Praesta, quaesumus omnipotens Deus: ut qui

Propr. Seccov. P. Verna

gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

In I Nocturno Lectiones

Fratres: Debitores, de Comuni plurimorum Martyrum cum RR. unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio IV

Joannes, in pago Scotiae vulgo Drum, e nobili Ogilbaeorum gente, ortus, in calviniana primum paterna haeresi adolevit. At sexdecim annos natus, in Flandriam missus, Lovanii a claro Societatis Jesu sodali Cornelio a Lapide catholicam veritatem edoctus, Romanam fidem toto firmoque animo amplexus est. Mox eandem

Societatem Jesu Brunae ingressus Graecium in Styria venit, ubi quinque annos commoratus est et anno millesimo sexcentesimo primo Aula Caesaria praesente in ecclesia S. Aegyptii vota religiosa emisit. Aliquibus annis in diversis urbibus Austriae demptis sacerdotio Parisiis auctus, ardentissimis precibus impetravit, ut in patriam rediret, catholicae rei in summum discrimen adductae auxilium laturus. Et sane nullis incommodis ac laboribus parcens, innumeros suos cives perbrevis sesquianni tempore ab haeresi ad fidem retraxit, donec a venali proditore fraudulenter pseudoepiscopo Glasguensi traditus est.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. **Et.**

Lectio v

Minis et illecebris frustra tentatus, fortissimus Christi Martyr Glas-

gua Edimburgum ducitur, et regio tribunali sistitur. Callidis persecutorum interrogationibus mira semper cum animi alacritate et prudentia atque etiam sapientibus argutiis respondit, Summi Pontificis praesertim primatum et Ecclesiae Catholicae jura invictè propugnans. Continuatis ocrearum crurifragarum minis tentatus, deinde alapis, verbèribus, clamoribus, stilis, aciculis, vellicationibus per octo dies et novem noctes evigilare coactus, corpore quidem paene mortuus, at spiritu imperterritus visus est, nihil umquam revelans, quod aliis catholicis ex iniquis legibus periculum facessere posset.

R. Desiderium animae ejus tribuisti ei, Domine. * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. **V.** Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. **Et.**

Lectio vi

Glasguam reductus et morti damnatus, novis illecebris, dum ad supplicium ducitur, nequid-

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii Cap. 15, 24-26

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, Amen, dico vobis, nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia s. Bellarmini Episcopi.

Concio 39: De s. Laurentio, circa finem.

Aspiciamus, fratres, atque imitemur Christi Martyres invictissimos et Milites Domini strenuissimos, quilibet virgas expediti et gladios nudari et ignes accendi et bestias incitari et cruces aptari et alia innumerabilia atque exquisitissima supplicia, diaboli nequitia excogitata, parari viderent, minime tamen moveri aut flecti ullo modo poterant. Quamobrem, carissimi? Nempe, quia ista Domini verba in cordibus suis jam scripta legebant: „Qui amat animam suam, perdet eam et, qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.“

quam commotus, coram ingenti ac lacrimabunda populi multitudine se pro sola catholica fide et sacerdotii sanctitate necatum iri, ipsis carnificibus ad id declarandum argute adductis, palam professus, die decima Martii, anno millesimo sexcentesimo decimo quinto, aetatis suae trigésimo sexto, gloriosam mortem suspendio oppetiit. Ejus martyrii famam longe lateque diffusam Urbanus Octavus Pontifex Maximus juridicis tabulis consignari jussit; Pius vero Undecimus huic invicto Apostolicae Sedis propugnatori, primo exeunte saeculo a libertate in Anglia et Scotia catholicis restituta, die 22 Decembris anni millesimi nongentesimi vicésimi noni Beatorum honores decrevit.

R. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. **V.** Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. **Et.** Gloria Patri. **Et.**

R. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris. et opus fortitúdinis. **V.** Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcedínis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio. Expréssa.

Lectio viii

Audierat plane, audierat Beátus Martyr Joánes et in corde pénitus reposúerat illa verba: „Qui mihi ministrat, me sequátur, et ubi ego sum, illic et míster meus erit.“ Se Christi míster esse nóverat, idcirco in qua urbe sacrátum Dómini ságuinem ministrábat, in ea pro Dómini fide ságuinem suum fúndere gestiébat. Nec ejus spem et desidérium Dóminus feféllit. Ságuinem igitur fudit, imperatórem in próelio non desérui, proptérea láurea coronári et coeléstem Jerúsalem triumphátor intráre, et ubi Christus est, et ipse, tamquam fidélis míster, esse promérui.

R. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine ságuinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae digni-

tátis glóriam quaesívit. sed ad coeléstia regna pervénit. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

IX Lectio de Homilia Ferae et fit Commemoratio XL Martyrum et Ferae in Laudibus et II Vesperis.

Die 15 Martii

S. Clementis Mariae Hofbauer Confessoris

Duplex

Oratio

Deus, qui beátum Clementem Mariam miro fidei róbre et invíctae constantiae virtúte decorásti: ejus méritis et exémpis fac nos, quáesumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut praemia consequámur aetérna. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Ferae.

In I Nocturno Lectiones
Beátus vir, de **Communi Conf. non Pont. 1 loco.**

In II Nocturno

Lectio iv

Clemens María Hofbauer Tassovítii in Morávia natus, a prima aetáte in

schola christiánae perfectiónis eruditus est; magístra potíssimum religiosíssima matre, quae puérum post patris óbitum osténsa Christi Dómini e cruce pendéntis imáagine sic allocúta fertur: En fili, qui hinc in pósterum tibi futúrus est pater, cura, ut per eam, quae ipsi placet, viam incédas. Adoléscens pistóriam artem dídicit; sed ad majóra se vocári praeséntiens coepit inter laboriósae artis exercítium ad stúdiium incúmberé litterárum. Bis Romam pedes ad límina Apostolorum peregrinátus est, bis étiam rerum caeléstium contemplatióni libéris vacatúrus in erémum secessit. Verum Deo illum ad altióra vocánte intermíssa litterárum stúdia in Vindobonénsi Universitáte repétiit, navitérque prosecútus est; donec ex purióre fonte sacras disciplínas haustúrus, Romam tértium remigrávit. Ibi in sancti Alfónsi familiam singulári Dei providéntia cooptátus est, quam ipsíus ópera in díssitas regiónes propagátum iri sanctus idem Párens divíno instínctu praesénsit ac pálam praenuntiávit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Absolúto cum magno spírítu fervóre tirocinio ac présbyter factus in septentrionáles Európae províncias a Sede apostólica missus est. Erécto Varsáviae in Polónia primo suae Congregatiónis domicílio, et plúribus sibi adiúctis sóciis, incredibile est, quam copióso ibi fructu sacerdotália múnera ultra vicénnium expléverit; nihil labóris recusans, sive ut cathólicos ad bonos mores et pietátis cultum revocáret, sive ut haeréticos et Judaeos ad veram fidem addúceret. Multa etiam ad religiósam juventútis institutióem praestitit. Orphanórum sortem miserátus eréxit hospítium, ubi miserimos quosque páterna caritáte alébat; visus subínde stipem eórum causa emendicáre, immo nec faciém ab increpántibus et in se conspuéntibus

avértere. Inter has autem curas semper coram Deo ámbulans, Deíparae Virgini, cujus Rosárium assidue recitábat, singulariter devótus, rectus, simplex, húmilis, cunctis affábilis et benignus, ómnibus velut sanctitátis exémpLAR júgiter praelúxit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stollam glóriæ induit eum, • Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Deo soli confísus, plures institúti sui domus váriis in regiõnibus erexit. Ipse vero multas, ob témporum iniquitátem, acerbítates perpéssus, et e Polónia tandem cum suis expúlsus, secéssit Vindobónam, ubi duódecim postrémis vitæ annis, ad Dei glóriam strénue operári perseverávit. Praeter sédulam enim sanctimoniálium vírginum curam totus in eo fuit, ut praedicatíone verbi Dei, sacraménti Poeniténtiae administratíone, quam plúrimas a salúte dévias ánimas Christo lucrifáceret. Quem caritátis ignem, tum sacer-

dótibus, tum máxime se- léctae júvenum cohórti, quorum complúres suum Congregatíoni nomen dedérunt, infúndere adlaborávit. Illud autem indefésa sua ópera consecútus est, ut languescéntem pó- puli fidem catholicúmque spírítum non parum illa aetáte imminútum, corrobóraret; dignus proptér- ea, quem Pius séptimus virum apostólicum, Vindobonénsis cleri decus, Ecclesiæque cólumen appelláret. Méritis tandem plenus, et prodigiórum aliorúmque caeléstium charismatum múnere illústris, prope septuagenárius obdormívit in Dómino, Idi- bus Mártiis, anno millési- mo octingentésimo vigé- simo. Eum Leo décimus tértius, miráculis clarum, Beatórum catálogo, Pius vero décimus novis ful- géntem signis Sanctórum fastis accénsuit.

R. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: In- grédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum cor- ram me ex ómnibus génti- bus. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad caeléstia re-

gna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Lectiones de Homilia in Evangelium Nolite timere. de Communi Conf. non Pont. 2 loco.

IX Lectio de Homilia Ferie et fit ejus Commemoratio in Laudibus et II Vesperis.

Die 23 Martii

B. Joannis Sarcander

Martyris

(d. a. ex 17 hujus)

Semiduplex

Oratio

Deus, qui beátum Jo- ánnem Mátyrem tu- um in confessíone verae fidei, et sacram- tális siléntii custódia, vir- túte constántiae roborásti: praesta, quæsumus; ut contra advérsa ómnia ejus muniámur exémp- lis, et protegámur auxiliis. Per Dóminum.

Et fit Cemmemoratio Ferie.

In I Nocturno Lectiones Fratres: Debitóres, de Com- muni plurimorum Martyrum cum RR. unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

Joánes Sarcánder, Sko- czóviae in ducátu Te- schinénsi superioris Silé-

siae nóbili género ortus, adhuc puer, amíssio patre, tutelæ matérnae créditos, infensíssima cathólico nó- mini tempestáte, piam in litteris et móribus institu- tíonem quæritans, in Mo- ráviam finitimásque regiõ- nes conténdit. Freibérgae primum consistit, deinde Olomúcium, mox Pragam in Bohémia, postrémo Gráecium in Stýria ad hu- manióres et sacras disci- plinas ediscéndas profi- ciscitur. Sacerdotío itém- que doctóris título auctus, in Moráviam dénuo revér- sus, a Cardínali Episcopó Olomucénsi cúriae Hole- schoviénsi post grassátam ibi per octogínta annos háeresim praefícitur. Pa- storále munus rite fidei- térque gessit: verbo et exémplo pietáti fovéndaé et amplificándaé, aberrán- tibus ad cathólicam uni- tátem revocándaé ac reci- piéndaé, ecclesiásticae im- munitátis júribus tuéndaé, orthodoxis doctrínis de sacraméntis Poeniténtiae et Eucharístiae, a sacro- sáncito Concílio Tridentíno tráditis ac confirmátis, ácríter propugnándaé ópe- ram sédulo navávit; ex quo ómnium haereticórum invidias et simultátes in

se convertit. Bohémica se-
ditione gliscente, tantis-
per Holeschóvio migravit,
et in Polóniam ad beatam
Mariam Virginem Czen-
stochóvii ex voto secéssit:
sed morae impatiens, ac
desiderio fidelium in fide
confirmandorum incensus,
cum circa Silesianos fines
diu oberrasset, iterum Ho-
leschóvium se recépit.
Proscriptus brevi et in jus
vocatus, in arce Tovacó-
vii se subripuit, donec in
silva Olomúcio próxima
próditus, et a satellitibus
abréptus, contumélias et
calúmnias haereticorum
mira animi constantia ac
mansuetudine perpéssus,
in vincula conjéctus est.

R. Honéstum fecit illum
Dóminus, et custodívit
eum ab inimicis, et a se-
ductóribus tutávit illum: *
Et dedit illi claritatem ae-
térnam. **V.** Descendítque
cum illo in fóveam, et in
vinculis non dereliquit
eum. **Et.**

Lectio v

Instituta inquisitione,
quater in iudicium ad-
ductus, coram saevissimis
optimatibus Moravorum
conviciis, maledictis et ex-
secrationibus excéptus:
ter, suspensus in equuleo,

arctissime, ad sex conti-
nentes horas, attractus
extensusque est; bis
vero admotis ad latera
per quinque horas facibus
sebo, sulphure, resina im-
butis: tandem adhibitis
plumis, picis ac olei liqua-
mine illitis et accensis, in-
que latera, ventrem, col-
lum, axillasque impactis,
ita adustus est, ut, de-
pactis flamma carnibus,
vix viscera inter costarum
repagula cohiberentur.
Hisce cruciatibus in Már-
tyrem animadvertunt
haeretici tum propter odi-
um disciplinae ac fidei cat-
holicae, eas in regiones
invectae, ac strenue propu-
gnatae, tum ut dynas-
tae de Lóbkovitz arcana,
in exomologesi pandita,
de conscii sacerdotis pec-
tore elicerent atque extor-
querent. Frustra diu in-
victi Martyris contra hon-
norem sacramenti tentata
constantia est: nam pati-
bulum patientis factum
est cathedra docentis, ex
qua protestationibus, ad-
hortationibus et enixis ad
Deum precibus, necnon
jugi et validissima nomi-
num Jesu, Mariae et Annae
invocatione, iudicium ra-
biem devicit ac feritatem
carnificum prostravit.

R. Desiderium animae
ejus tribuisti ei, Dómine:
* Et voluntate labiorum
ejus non fraudasti eum.
V. Quoniam praevenisti
eum in benedictionibus
dulcedinis: posuisti in cá-
pite ejus coronam de lá-
pide pretioso. **Et.**

Lectio vi

Lictori haeretico, et cár-
ceri perpétuo tráditus,
in oratione ac caeléstium
rerum contemplatione ré-
liquum passionis suae
tempus, quod inter acer-
bissimos dolores ad tri-
ginta tres dies perductum
est, insumpsit. Quotidie
horas canónicas recitavit:
cumque ob diffractos ner-
vos et disrúptos totius
corporis artus impos ad
múnia vitae obeúnda red-
deretur, linctu linguae o-
pem mánuum in páginis
vertendis supplébat. Tan-
dem die decimo séptimo
Mártii anni millésimi sex-
centésimi vigésimi, annos
natus ultra quadraginta
tres, victricem animam
caelo inserendam reddidit
in illis verbis: Convertere,
ánima mea, in réquiem
tuam, quia Dóminus bene-
fécit tibi: quia eripuit áni-
mam meam de morte,
óculos meos a lácrimis,

pedes meos a lapsu. Ejus
corpus, ob inédiam et diu-
térnam tolerántiam viscé-
rumque putrefactionem
foetens ac squállidum,
post mortem quodámmo-
juvénata refluísse, et su-
ávem odórem exhalásse
compértum est, ita ut il-
lud Cathólici ad septem
dies inhumátum serváve-
rint. Quod demum in ec-
clésia Deíparae Vírginis
sidéribus recéptae Olo-
múcii conditum est. An-
trum supplicii in ecclé-
siam convertum est; ibi
equuleus serváitur, septo
conclusus, ne importúna
fidélium pietáte in frustra
comminuátur; ibique fons
aquae perénnis vísitur, qui
ad levándam Mártiris si-
tim súbito scátuit, valde
céleber, quod ejus haustu
febres fugántur. Quem
miráculis clarum Pius no-
nus Póntifex máximus
anno millésimo octingen-
tésimo sexagésimo Bea-
torum caelítum albo ac-
censuit, et inter cathóli-
cae Ecclésiae Mártires
rétulit.

R. Stola jucunditatis
índuit eum Dóminus: *
Et coronam pulchritúdi-
nis pósuit super caput
ejus. **V.** Cibávit illum Dó-
minus pane vitae et intel-

léctus: et aqua sapiéntiae
salutáris potávit illum.
Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Mattháeum

Lectio vii Cap. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit
Jesus discipulis suis:
Nihil est opértum, quod
non revelábitur, et occúl-
tum, quod non sciétur. Et
réliqua.

Homília sancti Hilárii
Epíscopi

**Comment. in Matth. cap. 10
post medium**

Dóminus diem iudicii
osténdit, quae abs-
trúsam voluntátis nostrae
consciéntiam prodet: et
ea, quae nunc occúlta exi-
stimántur, luce cognitió-
nis públicae déteget. Igi-
tur non minas, non consí-
lia, non potestátes in-
sectántium monet esse
metuéndas: quia dies ju-
dicii nulla haec fuisse,
atque inánia revelábit. Et
quod dico vobis in téne-
bris, dícite in lúmine: et
quod in aure audítis,
praedicáte super tecta.
Non légimus Dóminum
sólitum fuisse nóctibus

sermocinári, et doctrínam
in ténebris tradidisse: sed
quia omnis sermo ejus
carnálibus ténebrae sunt,
et verbum ejus infidélibus
nox est.

R. Coróna áurea super
caput ejus, * Expréssa
signo sanctitátis, glória
honóris, et opus fortitúdi-
nis. **V.** Quóniam praeve-
nísti eum in benedictióni-
bus dulcédinis, posuísti in
cápite ejus corónam de
lápide pretiósio. **Expréssa.**

Lectio viii

Itaque id, quod a se dic-
tum est, cum libertáte
fidei et confessiónis vult
esse loquéndum. Idcirco
quae in ténebris dicta
sunt, praedicári jussit in
lúmine: ut, quae secréto
áurium commissa sunt,
super tecta, id est, ex-
célso loquéntium praecó-
nio audiántur. Constánter
enim Dei ingerénda cog-
nítio est, et profúndum
doctrínae evangélicae se-
crétum in lúmine praedi-
caciónis apostólicae re-
velándum: non tíméntes
eos, quibus cum sit licén-
tia in córpora, tamen in
ánimam jus nullum est:
sed tíméntes pótius Deum,
cui perdénda in gehénna

et ánimae et córporis sit
potéstas.

R. Hic est vere Martyr,
qui pro Christi nómine
sánguinem suum fudit: *
Qui minas júdicum non
timuit, nec terrénae digni-
tátis glóriam quaesívit,
sed ad caeléstia regna
pervénit. **V.** Justum de-
dúxit Dóminus per vias
rectas, et osténdit illi re-
gnum Dei. **Qui. Glória
Patri. Qui.**

**IX Lectio de Homilia Fe-
riae et fit ejus Commemora-
tio in Laudibus et II Vesperis.**

Die 27 Martii

In Obitu S. Ruperti**Episcopi et Confessoris
Duplex majus****In I Vesperis**

Antiphonae de Laudibus.
**Psalmi de Dominica: loco ul-
tími Ps.** Laudáte Dóminum
omnes Gentes.

Capitulum Malach. 2, 7

Lábia sacerdotís cu-
stódiunt sciéntiam,
et legem requírent
ex ore ejus, quia
ángelus Dómini exercítu-
um est.

Hymnus

Jubilántes extollámus
Odárum concéntibus
Veneráti festi diem

Germánis percélebrem,
Quo candéscit inter cho-
ros
Rupértus angélicos.

Quem volántem stipant
piae
Caeléstis militiae,
Laude célebrant canóra
Feréntes ad áethera;
Sic beátum cóntigit phase
Sacro Paschae témpore.

Qui locátus Patriárchae
Super sinum Abrahæ
Aurem nobis invocátus
Praebet supplicántibus,
Intercedens pro salúte
Córporis et ánimae.

Ad sepúlchrum provolú-
tus
Salvus redit lánguidus,
Et ad lumen venit caecus,
Claudi gaudent gréssibus,
Voces clamant quae ve-
térnis

Haerébant siléntiis,

Eja gemma confessórum
Cum Christo regnántium.
Gregem tuum pastor pius
Tuére propítius.
Criminúmque patratórum
Resólve chirógraphum.

Patri virtus et potéstas,
Perpes sempitérnitas
Glória, laus sit et Nato
Honor, jubilátio,
Et Spíritui perénis
Saeculórum saeculis.

Amen.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Dómine, si bonum est in óculis tuis, éligam mihi ánimas servítio tuo aptas, per quas omnes trahántur ad sanctæ vitæ exercitatió-nem.

Oratio

Deus, qui nos prædicatió-ne beáti Rupéрти Confessóris atque Pontificis, ad agnitó-nem sancti Nó-minis tui vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct. et Ferie.

Completorium de Feria.

Ad Matutinum

Invitat. Regem Confessorum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus Jubiláns, ut supra in I Vesperis. 11*.

in I Nocturno

Ant. Cum præcélens Rupéрти fama in fines terrarum exiisset, multi ad eius salutárem confluxérunt doctrínam.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Conf. Pont.

Ant. Benígna devotió-ne Rupéрти, plúrimi a láqueis erépti viam perpétuæ vitæ ingrediebántur.

Ant. Grátias agébat divinæ cleméntiæ, quod sedéntes in ténébris et umbra mortis auctórem vitæ Jesum Christum agnóscerent.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lectio i Cap. 3, 1-7

Fidélis sermo: Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum: non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, filios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præeísse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum:

ne in supérbiam elátus, in júdicium incidat diabóli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium incidat, et in láqueum diabóli.

R. Generósa Rupértus prosápia génius * Divína prosperánte grátia sanctitáte refúlsit. **V.** Qui ex regáli genere Francórum ortus, nobílior fide et pietáte fuit. **D**ivina.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1, 7-11

Opórtet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatórem: non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benígnum, sóbrium, jústum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermó-nem: ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediétes, vaniloqui, et seductóres: máxime qui de circumcisió-ne sunt: quos opórtet redárgui: qui univérsas domos subvértunt, docétes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

R. Justus in júdicio et virtútum splendóre claréscens, * Méruit Wormátiae in Ecclésiá Praesul exsistere. **V.** Nóluit Deus tantam grátiam delitescere sed lucérnam super Ecclésiæ candelábrum pó-suit. Méruit.

Lectio iii Cap. 2, 1-8

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam: Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectió-ne, in paciéntia. Anus simíliter in hábitu sancto, non criminátrices, non multo vino serviéntes, bene docétes: ut prudéntiam dóceant adolescentúlas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habétes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum praebe exéplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile: ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

R. Bénedic Regem aetérnae glóriæ, convérsa

gens Noricórum: te enim de ténébris in admirábile lumen suum vocávit prae-sule Ruperto praedicante, * Qui Christi fulgor exstítit et stella veritátis. **V.** Corde et ore precémur sanctum Pontíficem, ut plebem cathólicam defendat. **Qui. Glória Patri. Qui.**

In II Nocturno

Ant. Dóminus ac Red-emptor noster Baváricam gentem per fámulum suum Rupertum in admirá- bile lumen suum vocáre dignátus est.

Ant. Velut clara lucérna super candelábrum pósta, per términos Noricórum et Pannóniam lumen Christi ministrábat.

Ant. Praedicábat intré- pidus Christum verum Deum et hóminem, Ver- bum Dei, quod illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum.

V. Elégit eum Dóminus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Lectio iv

Tempore Hildebérti, Re- gis Francórum, anno scilicet regni ejus secún-

do, honorábilis Conféssor Christi Rupertus in Wor- mátia urbe Episcopus ha- bebátur. Qui ex regáli pro- génie Francórum ortus, cathólicae fidei et evangé- licae doctrínae totiúsque bonitátis nobilissimus fló- ruit doctor. Erat enim vir simplex, pius et prudens, in sermóne verax, justus in iudicio, próvidus in con- sílio, strénuus in actu, con- spícuus in caritaté, in uni- vërsa morum honestáte praeclárus. Cumque in- numerábiles ad ejus cae- léstem convenissent doc- trínam, et fama sanctitá- tis illíus longe latéque cre- brésceret, quidam Bavá- riae regiónis dux, nómine Théodo, eum per nuntios suos rogáre coepit, ut eam provínciam illuminándam susciperet. Unde praedicá- tor veritátis, divíno com- púnctus amóre, illuc primo misit legátos, póstea vero ípsemet ad gentem illam Christo subjugándam per- réxit. Hoc audíto, dux ma- gno est gáudio perfúsus, obviámque illi pergens, magno cum honóre sanc- tum virum Ratisbónam duxit. Cujus hortatió nibus brevi dux ipse et multi álii viri nóbiles illíus gentis ad fidem convérsi, baptizáti

sunt et in sancta religióne confirmáti.

R. Bávaros caeléstibus mystériis informávit, ca- tholicámque fidem dócuit: * Et baptísmatis unda re- generávit. **V.** Quos ad ve- ritátem et justítiam insti- tuit, eósdem mirábili si- gnórum virtúte illustrávit. **Et.**

Lectio v

Rupertus autem ipsíus Theodónis munitus praesídio mox juxta Dan- núbii ripas usque ad Pan- nóniae inferióris fines per- gens passim verbum Dei disseminávit. Inde per Laureacensem agrum re- vërsus transiënsque ubi- que benefaciëndo, sanádo scilicet infirmos, váriis languóribus opprésos plurimósque aqua regene- ratiónis lustrádo, tandem ad lacum Walárium cón- stitit; ibique in honórem beáti Petri, princípis Apo- stolórum, ecclésiám con- strúxit et consecrávit. Audiens autem Dei vir, apostólico flagrans ardó- re ad Juvávum flúvium esse locum antiquitus Ju- vávía vocátum, ac mira aedificiórum magnificén- tia célebrem, tunc verum ruinárum et virgultórum

congérie hórridum, eo se- dem suam episcopálem transférre constituit. Quod loco inspécto et illo poti- úndi potestáte a Theodóne obténta, immo ab hocce latifúndiis quoque copió- sis auctus absque mora éxsequi allaborávit. Pró- tinus enim in honórem ejúsdem beáti Petri Apó- stoli constrúxit ecclésiám, ecclésiiae adjúnxit mona- stérium et ómnia ad cul- tum divinum, ad vitam monásticam, atque rem- públicam instituëndam ne- cessária dispósuit: ita no- vae civitátis fundaménta jecit, nómine Salisbúrgi orbi cristiáno notae.

R. Praesul insignis ob Christi amórem ab infidé- libus in exsílum actus, * Rogátu Theodónis fines ádiit Noricórum. **V.** A Deo vocátus ut Abraham, dona cunctis prótulit supérna. **Rogátu.**

Lectio vi

Videns autem sanctus Rupertus, messem ad- huc esse multam, ex pró- pria pátria duódecim ac- cívit eléctos sibi sócios ad praedicándam evangéli- cae veritátis doctrínam, inter quos eminébant Chu- niáldus et Gislárius pres-

býteri, quibus stipátus atque sanctam Christi virginem Erentrúdem nepotem suam secum addúcens ad urbem Juvaviensem rediit, ubi in superiori castro monastérium sanctimoniárium sub Erentrúde magistra fundávit. Dein ipse Dei vir omnes istius pátriae fines assidue circumiens summi Pontificis adiutorio opus praedicandi verbi divini perfecit ubique ecclesias consecrans, presbýteros plebi Dei praepónens, canónicas horas solémniter observári praecipiens, cuncta ad divina mystéria celebranda diligentissime ordinávit. Cumque dies quadragesimalis observántiae agerentur, coepit febrium ardore fatigári. Ubi vero sanctíssima dies Resurrectionis Domínicae illúxit, Missarum solémnia celebrávit, sermónem ad pópulum hábuit, et postquam sacrosáncto Christi corpore omnes refecisset, data pace et benedictióne, Missa finíta in oratióne prostrátus, inter pias lacrimántium manus purissimam Deo ánimam reddidit. Eódem témpore coetus angélici a quibusdam religiósus viris audíti sunt,

qui canóra voce ánimam sanctam ferébant ad felicitátem aetérnam. Cujus sanctitátem crebra miracula testántur.

R. Venerábilis Póntifex rogábat Theodónem, ut Juvávum sibi tribúeret. Ad extirpanda et purificanda loca, iam ántea superstitióne immúnda et ibi ecclesiásticum officium ordinándum. **V.** Qui statim ei consétiens possessiões illas donávit; ut ibi Rupértus quidquid par esset ad Ecclesiae utilitátem fáceret. **Ad. Glória Patri. Ad.**

In III Nocturno

Ant. Rupértus dignus Dei fámulus vigíliis et jejúniis corpus suum castigábat et in servitútem redigébat.

Ant. Beátus Rupértus stúduit praedicatiónis opus summi Pontificis auctoritáte perficere.

Ant. Gaude, civitas Juvaviensis, quia super aquas tuas transplantátum fuit lignum pomíferum, quod numquam désinet dare fructum suum.

V. Tu es sacérdos in aetérnum. **R.** Secundum ordinem Melchisedech.

Lectio sancti Evangélii secundum Lucam
Lectio vii. Cap. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parabólam hanc: Homo quidam nobilis ábiit in regiónem longinquam accipere sibi regnum, et revérti. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi
Lib. 8 in Lucam

Bonus ordo, ut vocáturus gentes, et Judaeos júsurus intérfici, qui noluerunt regnare supra se Christum, hanc praemitteret comparatióne, ne diceretur: Nihil déderat pópulo Judaeórum, unde póterat mélior fieri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non mediocris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lucernam accéndit, lúmine quaerit admóto gratulátur inventam.

R. O felix Fráncia, ex qua tale jubar pródiit! Felícior Nórica, ubi fulgentíssimos rádios diffúdit! Laetáre Pannónia Christo per ipsum subjugáta! Sancte Praesul, intercède pro nobis. **V.** Ut ante magnificae Deitátis conspéc-

tum peccátis solúti inveniamur. **S.** ancte.

Lectio viii

Dénique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus: ille duplícia, idest, mystica legis, et morália prohibitatis. Unde et Mattháeus quinque talénta et duo talénta pósuit. In quinque taléntis, ut sint morália, in duóbus utrúmqe, mysticum atque morále. Itaque quod número inférius, re ubérius.

R. Sanctíssima die Resurrectionis Domínicae illucescénite Missarum solémnia celebrávit, et post dulcíssimas patérnae pietátis admonitiões atque extrémam mellífluae claritátis verba, Inter pias lacrimántium filiórum manus puram Deo ánimam reddidit. **V.** Cujus enim laudábilis et absque crimine éxstitit vita, hujus fuit et mors felicíssima. **Inter. Glória Patri. Inter.**

IX Lectio de Homilia Ferriae occurrenti; alias

Lectio ix

Et hic póssumus decem mnas decem verba in-

telligere, id est, legis doctrinam; quinque autem mnas magisteria disciplinae. Sed legisperitum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Bene autem, quia de Judaeis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt, non utique aeris, sed dispensationis usuris. Alia est enim pecuniae faenebris, alia doctrinae caelestis usura.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes

Ant. 1 Sanctus Confessor Christi Rupertus, regali genere ortus, fide et pietate fuit nobilior.

Psalmi de Dominica 1 loco.

2 Dum esset Pontifex, Spiritu Sancto plenus, providus in consilio, justus in iudicio, gregi suo ex animo forma factus est.

3 Rupertus, quod verbis monuit, hoc idem operum praerogativa confirmavit.

4 Sacerdotes Dei, benedicite Dominum, qui dedit Ruperto in terris laudis suae cantum et in caelis gloriae hymnum.

5 O beatum virum, qui opus suum misericordia exornabat, et thesauros

dispergebat, ut pauperes sublevaret.

Capitulum Malach. 2, 7

Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.

Hymnus

Jesu Redemptor omnium, Perpes corona Praesulis. In hac die clementius [lum, Indulgeas precantibus;

Tui sacri qua nominis Confessor almus claruit: Hujus celebrat annua Devota plebs solennia.

Qui rite mundi gaudia Hujus caduca respiciens, Aeternitatis praemio Potitur inter Angelos.

Hujus benignus annue Nobis sequi vestigia: Hujus precatu servulis Dimitte noxam criminis.

Sit, Christe Rex piissimi Tibi, Patrique gloria, [me, Cum Spiritu Paraclito, Nunc et per omne saecula [lum.

Amen.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Coetus angelici auditi sunt, qui

Ruperti animam canora voce ferabant ad felicitatem aeternam.

Oratio

Deus, qui nos praedicatione beati Ruperti Confessoris tui atque Pontificis, ad agnitionem sancti Nominis tui vocare dignatus es: concede propitius; ut cujus solennia colimus, etiam patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Damasceni et Ferae occurrentis.

Ad Primam et Horas Ant. et Psalmi de Feria.

Ad Tertiam

Capit. Labia, ut supra.

R. br. Amavit eum Dominus, * Et ornavit eum. **V.** Stulam gloriae induit eum. **Et.** Gloria. Amavit.

V. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Sextam

Capitulum Malach. 4, 4
Mementote legis Moysi, servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecpta et iudicia.

R. br. Elegit eum Dominus, * Sacerdotem sibi.

Elégit. **V.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis. Sacerdotem. **Gloria Patri.** Elégit.

V. Tu es sacerdos in aeternum. **R.** Secundum ordinem Melchisedech.

Ad Nonam

Capitulum Malach. 4, 5-6

Ecce ego mittam vobis prophetam, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.

R. br. Tu es sacerdos * In aeternum. **Tu. V.** Secundum ordinem Melchisedech. **In aeternum. Gloria Patri. Tu.**

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

In II Vesperis

Omnia ut in I Vesperis, et loco ultimi Ps. Memento, ut in II Vesperis de Communi Conf. Pont.

Capitulum et Hymnus ut supra in I Vesperis. 11*.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hodie sanctus Rupertus ante altare Domini prostratus, spiritum in manus caele-

stis Patris commendávit, hódie inter verba oratiónis ad caelum migrávit, hódie sanctitátis láurea coronátus innúmeris coepit fulgére miraculis.

Et fit Commemoratio S. Joannis et Feriae.

Completorium de Feria.

Die 4 Maji
S. Floriani Martyris

Duplex
Oratio

Deus, qui nos beáti Floriani Mátyris tui gloriósae passiónis ánnua solemnitate laetíficas: sólita pietátis tuae largitate concede benignus; ut, cujus hódie famosum victóriae triúmphum pio amóre venerámur in terris, societatis ejus laetítiam adipisci te largiente mereámur in caelis. Per Dóminum.

Et fit Commemor. S. Monicae Viduae.

Ant. Símile est regnum caelórum hómíni negotiátóri quaerénti bonas margarítas: invénta una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

V. Spécie tua, et pulchritúdine tua, allelúja.
R. Inténde, prospere procéde et regna, allelúja.

Oratio

Deus, moeréntium consolátor, et in te sperántium salus, qui beatae Mónicae pias lácrimas in conversiõe filii sui Augustíni misericórditer suscepisti: da nobis, utriúsque intervéntu, peccáta nostra deploráre, et grátiae tuae indulgéntiam invenire. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Saeviénte in Christiános Diocletiani et Maximiani persecutiõe, cum Aquilinus, Nóríci Ripénsis Praeses, in Christi cultóres ad Lauréaci castrum acérrime animadvérteret, et ad quadraginta eo nómine vinctos, multisque suppliciis macerátos in cárcerem conjecisset; Florianus iisdem religiõnis, et militíae societáte conjúctus, sancto fidei ardóre incensus, ac sanguinem pro Christo profúndere cúpiens, Lauréacum advolat, sicque ad excellentiõris militíae coronam glorióso certámíne conténdit.

R. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, * Et aetérnitas témporum, allelúja, allelúja. *V.* Laetítia

sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exsultatiõnem obtinébunt.

E.

Lectio v

Audiens ergo Christiános ad idolórum sacrificia perquiri, nihil truculentórum fidei hóstium immanitátem véritus, in médium se ultro profert, liberéque exclámat: Quem álium quáeritis? ecce ego Christiános sum: ite, nuntiáte Práesidi, me hic adesse. His audítis, Praeses eum ad se addúci jubet, et díis sacrificáre. Quod cum nulla ratiõe obtinére possit, secúndo, et tértio fústibus caedi imperat, atque illius scápulas acútis ferris confríngi. Tandem invíctus Christi athléta váriis tormentórum géneribus superátis, ob inconcússam fidei constántiam, últimam mortis laetus accipit senténtiam.

R. In servis suis, allelúja, * Consolábitur Deus, allelúja. *V.* Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. *Consolábitur.*

Lectio vi

Ligáto igitur ad collum saxo, e ponte in Anasum flúvium dejícitur, non

tamen sine divína ultiõe; nam óculi ejus, qui injéctis violénte máribus Mátyrem praecipitávit, mox crepuérunt: flúvius autem, Mátyrem Christi suscipiens, elevátis undis in quoddam eminentius saxum sacrum ejus corpus éxtulit; quod miro nutu Dei, áquila illic advolánte, protegebátur, donec a Valéria, pia matróna, a Deo admónita, inde clam ablatum, sepultúrae tráditum est, eo in loco, quo póstea célebre monastérium erectum fuit, quod in hunc usque diem título et patrocinio gaudet sancti Floriani.

R. Fíliae Jerúsalem, veníte et vidéte Mátyres cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus. * In die solemnitatís et laetítiae, allelúja. *V.* Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit filios tuos in te. *n.* Glória Patri. *n.*

In III Nocturno Homilia in Evangelium Ego sum vitis vera, de Communi Mm. Tempore Paschali. Extra Tempus Paschale vero legitur Homilia in Evangelium Si quis venit, de Communi unius Martyris 1 loco.

Pro S. Monica:

Lectio ix

Monica, sancti Augustini piissima mater, uxorum et viduarum exemplar, filium Manichaeum secuta, postquam assiduis orationibus, lacrimis et jejuniis, ope Ambrósii Mediolanensis episcopi, eum Christo lucrificavit, cum ipso in Africam rediens, ad Ostia Tiberina in febrim incidit, et nono die placidissime obiit. De cuius morte maerens filius disserens subiit: Neque enim decere arbitrabamur funus illud questibus lacrimosis gemitibusque celebrare, quia illa nec misere, nec omnino moriebatur: hoc et documentis morum ejus, et fide non ficta rationibusque certis tenebamus. Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conversationemque ejus piam in te et sanctam, in nos blandam atque morigeram, qua subito destitutus sum, et libuit flere de illa et pro illa: et, si quis peccatum invenerit flevisse me matrem oculis meis mortuam, quae me multos annos fleverat ut oculis suis vive-

rem, non irrideat: sed potius, si est grandi caritate, pro peccatis meis fleat ipse ad te Patrem omnium fratrum Christi tui. Ejus corpus in ecclesia sanctae Aureae prius sepultum, postea, Martino quinto summo Pontifice, Romam translatum, in ecclesia sancti Augustini honorifice conditum est.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit Commemoratio S. Monicae.

Ant. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus, allelúja.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, allelúja. **R.** Propterea benedixit te Deus in aeternum, allelúja.

Oratio ut supra.

Die 16 Maji

S. Joannis Nepomuceni

Martyris,

Patroni

Dioecesis Seccoviensis

Duplex I classis
cum Octava communi

In I Vesperis

Ant. 1 Interrogabat eum rex multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat, allelúja.

Psalmi de Dominica, sed loco ultimi Psalmus 116 Laudate Dominum, omnes Gentes.

2 Rex dixit: Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, allelúja.

3 Affirmabat rex se divitem et beatum facturum. Non obedio praeccepto regis, sed praeccepto legis, quae data est nobis, allelúja.

4 Tunc rex, accensus ira, in hunc super omnes crudelius descevit, allelúja.

5 Beatus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se, allelúja.

Capit. Eccli. 21, 28-29

Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statim ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.

Hymnus

Invictus heros Numinis, Mergendus unda fluminis,

Stat fortis in silentio,
Dum fit sigilli mentio.

Hinc rex minatur funera,
Hinc tortor infert vulnera,
Manus ligantur funibus,
Artus cremantur ignibus.

Sed haec Joannes despicit,
Nec regis iram respicit,
Secreta non vult pandere,
Horret sigillum frangere.

Stat mutus agnus innocens:

Nil de tegendis proferens:
Stat; dumque rex nil elicit,
E ponte justum dejicit.

Praeceptis ab alto sternitur,
Undis profundis mergitur:
Mersum sed applaudentibus
Undae salutant ignibus.

Stellae natant in flumine,
Illi parentant lumine,
Docetque caeli claritas
Quae sit Joannis caritas.

Da, sempiterna Trinitas,
Ut in bono sit firmitas:
Aut lacrimarum flumina
Mergant cadentem crimina.
Amen.

℣. Sacramentum regis abscondere bonum est, allelúja. **R.** Opera autem Dei revelare honorificum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Dedit mihi Dominus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum, allelúja.

Oratio
Deus, qui ob invictum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclesiam tuam martýrii coróna decorásti: da, ut ejus exémplo et intercessióne, ori nostro custodiám ponéntes; beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

Ad Matutinum

Invit. Exsúltent in Dómino Sancti * Allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

In profúnda noctis umbra
Et gravi calígine
Lustrat aedem flamma
munda,

Sic jubénte Númine.

Nocte náscitur Joánnes,
Astra caelo dévolant:
Nocte mérgitur Joánnes,
Astra funus ápparant.

Hinc cor ejus igne flagrans

Fortis urit caritas:
Hinc ab ejus ore manans
Mira prodit suávitás.

Nunc amóre cor bonórum

Ad salútem pértrahit:
Nunc timóre cor malórum
A gehéna rétrahit.

áuperes solátur aere,
Derelictis súbvenit:

Non sinit justos jacére:
Damna famae práepedit.

Per Joánnis sanctitátem,

O beáta Trínitas,
Méntibus da puritátem,

Corde regnet caritas.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Erit lumen Israél in igne; et Sanctus ejus in flamma, allelúja.

Psalmi trium Nocturnorum de Comuni unius Mart.

¶ Sacraméntum regis abscondere bonum est, allelúja. ¶ Opera autem Dei reveláre honoríficum, allelúja.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 21, 26-31

Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hóminis auscultáre per óstium: et prudens gravábitur contumélia. Lábia imprudentium stulta narrábunt: verba autem prudentium statéra ponderabúntur. In ore fa-

tuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum. Dum maledicit impius diábolum, maledicit ipse ánimam suam. Súsurro coinquinábit ánimam suam, et in ómnibus odiétur: et qui cum eo mánserit, odiósus erit: táctus et sensátus honorábitur.

¶ Metuébat rex Joánnem, * Sciens eum virum justum et sanctum, allelúja. ¶ Et custodiébat eum, et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. sciens.

Lectio ii Cap. 28, 21-25

Flagélli plaga livórem facit: plaga autem linguae commínet ossa. Multi cecidérunt in ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. Beátus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracúndiam illius non tránsívit, et qui non attráxit jugum illius, et in vínculis ejus non est ligátus: jugum enim illius, jugum férreum est: et vínculum illius, vínculum áereum est. Mors illius, mors nequíssima: et útilis pótius inférnus quam illa.

¶ Lex veritátis fuit in ore ejus, et iniquitas non

est invénta in lábiis ejus: in pace et in aequitáte ambulávit mecum: * Et multos avértit ab iniquitáte, allelúja. ¶ Lábia enim sacerdotis custódiént sciéntiam, et legem requirént ex ore ejus. Et.

Lectio iii Cap. 28, 26-30

Perseverántia illius non permanébit, sed obtinébit vias injustórum: et in flamma sua non combúret justos. Qui relinquant Deum, incident in illam, et exardébit in illis, et non exstinguétur, et immittétur in illos quasi leo, et quasi pardus laedet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre, et ori tuo fácto óstia, et seras. Aurum tuum et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácto statéram, et frenos ori tuo rectos: et atténde ne forte labáris in lingua, et cadas in conspéctu inimicórum insidiántium tibi, et sit casus tuus insanábilis in mortem.

¶ Sepívi aures meas spinis, * Et ori meo feci óstia et seras, allelúja.

¶ Beátus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indignis se. Et.

¶ Gória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. Non quaesivit a Dómino ducátum, neque a rege cáthedram honóris, allelúja.

V. Pone, Dómine, custódiam ori meo, allelúja.
R. Et óstium circumstántiae lábiis meis, allelúja.

Lectio iv

Joánnes Nepomúci Bohémiae óppido, unde Nepomuceni cognómen duxit, a paréntibus aetáte provéctis, non sine futúrae sanctitátis praeságio, flammis supra nascéntis domum mirabiliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, beátae Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, a vitae perículo evásit incólumis. Egrégia índole, piáque institutióne caeléstibus índiciis obsequente, inter sanctas religiosásque exercitatiónes puerítiam egit: nam ecclésiám frequénte adíre, ac sacerdotibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus, Pragae vero gravióribus disciplinis excéltus, philosophia,

theológiae sacrórúmque cánonum magistérium et láuream eméruit. Sacerdotio initiátus, atque a scientia sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum igitur in vítiis exstirpándis, et revocándis in viam salutis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, inter canónicos metropolitánae ecclésiiae Pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wencesláo quarto praedicándi provinciam suscepit, eo succésu, ut Joánnis suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille obtulit dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi praecónio avocarétur, constantíssime recusávit.

R. Instans oratióni et ministério verbi, hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: * Quia erat vir bonus, et plenus Spíritu Sancto, allelúja. **V.** Et apponebátur multa turba Dómino. **Quia.**

Lectio v

Régiis illum eleemósynis in páuperes erogándis praeféctum, Joánnas regína consciéntiae sibi moderatórem ascívit. Cum autem Wencesláus ab officio institutóque decessisset, atque in vítia praeceptis abriperétur, piae autem cónjugis obtestatiónes et mónita graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judicio sacerdoti crédita regínae arcána sibi a Joáanne panderéntur. At Dei minister blandítiis primum, tormentis deinde et cárceris squalóre tentátus, nefáriae regis cupiditáti fórtiter óbstítit. Furéntem tamen Wenceslái ánimam cum ab exsecrándo propósito nec humana nec divína jura deterrérent, suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in concióné de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obsécure praenuntiávit. Mox Bolesláviam proféctus, ad beátae Vírginis imáginem antíquo cultu célebrem, caeléste praesídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus im-

plorávit. Inde vésperere reverténtem in pervigílio Domínicae Ascensiónis rex e fenéstria conspicátus arcéssit: cumque vehementius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constántia terróres mínasque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfuens noctu dejéctus illústrem martýrii coronam est consecútus.

R. Dispérsit, dedit paupéribus: * Justítia ejus manet in saeculum saeculi, allelúja. **V.** Beátus, qui intélligit super egénium et pauperem. **Justítia.**

Lectio vi

Sacrilegum fácinus clam patrátum, et Mártiris glóriam insigne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi coepit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurrentes apparuérunt. Quam ob rem ex aréna postrídie mane corpus elátum, canónici deinde, regis iram nihil tíméntes, in metropolitánam ecclésiám solémni pompa intulérunt, et sepultúrae mandárun.

Cum autem in dies invicti sacerdotis memoria miraculis, et maxima fidelium, eorum praecipue qui fama periclitantur, veneratione cresceret, post annos decem amplius trecentos, in juridica recognitione corporis, quod sub humo tamdiu jacuerat, lingua ejus incorrupta et vivida reperta est: quae sexto post anno iudicibus a Sede apostolica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, et subobscurum ruborem in purpureum commutavit. His itaque aliisque signis rite probatis, Benedictus decimus tertius Pontifex Maximus die decima nona mensis Martii, anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo nono primum hunc sacramentalis sigilli assertorem, arcani fidem sanguine obsignantem, sanctorum Martyrum catalogo adscripsit.

R. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi: * Propter quod vigilate, alleluja. **V.** Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa ut abducant discipulos post se.

Propter. **G**loria Patri.
Propter.

In III Nocturno

Ant. Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas, alleluja.

V. Dixi: Custodiam vias meas, alleluja. **R.** Ut non delinquam in lingua mea, alleluja.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum

Lectio vii Cap. 11, 2-10

In illo tempore: Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae

In Eyang. Homilia 6

Dimissis Joannis discipulis, quid de eodem Joanne turbis dicat, audiamus. Quid existis in deserto videre? arundinem vento agitatam? Quod videlicet non asserendo sed negando intulit. Arundinem quippe mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem nisi carnalis animus designatur? Qui mox ut favore vel detrac-

tionem tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit et extollitur: sed si inde ventus detractiois eruperit, unde aura laudis veniebat, mox hunc quasi in partem alteram ad vim furoris inclinatur.

R. Cum corriperebatur ab illo de omnibus malis quae fecit rex, adjecit et hoc:

Et inclusit Joannem in carcere, alleluja. **V.** Laboro usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. **Et.**

Lectio viii

Sed arundo agitata vento Joannes non erat: quia hunc nec blandum gratia, nec cuiuslibet detractiois ira asperum faciebat: nec prospera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo ergo vento agitata non erat, quam ab status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Discamus ergo, fratres carissimi, arundinem vento agitatam non esse: solidemus animum inter auras linguarum positum: stet inflexibilis status mentis. Nulla nos detractio ad iram provocet, atque ad

remissionem inutilis gratiae nullus favor inclinet. Non nos prospera elevent, non adversa perturbent: ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mobilitate moveamur.

R. Reddidit Deus justo mercedem laborum suorum, et deduxit illum in via mirabili: Et fuit illi in velamento diei, et in luce stellarum per noctem, alleluja. **V.** Transvexit illum per aquam nimiam: inimicos autem illius demersit. **Et.** Gloria Patri. **Et.**

Lectio ix

Ad huc autem de ejus expressione subjungitur: Sed quid existis videre in deserto? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Camelorum enim pilis, ut scitis, vestitus Joannes fuisse describitur. Et quid est dicere: Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt: nisi aperta sententia demonstrare, quia non caelesti sed terreno regi militant ii, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, et solis exterioribus dediti, praesentis vitae

mollitiem et delectationem quaerunt.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1 Interrogabat eum * rex multis sermonibus: at ipse nihil illi respondēbat, allelúja.

Psalmi de Dominica 1 loco.

2 Rex dixit: * Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, allelúja.

3 Affirmabat rex * se divitem et beatum facturum. Non obedio praecēpto regis, sed praecēpto legis, quae data est nobis, allelúja.

4 Tunc rex, accensus ira, * in hunc super omnes crudelius desēviit, allelúja.

5 Beatus * qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se, allelúja.

Capit. Eccli. 21, 28-29

Lábia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statéra ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.

Hymnus

Vix in sepúlchro conditur,

Signis Joannes prōditur,
Per crátium repágula
Intermicant miracula.

Hic ejus hostes illico
Pudóre maesti público,
Ultríce dextra Núminis,
Poenas repēdunt críminis.

Hic damna rerum flén-tibus
Famáeve conquérētibus,
Abducta res revértitur,
Abláta fama rédditur.

Hic corpus aegritú-dines,
Tempus vicissitú-dines,
Periculum securitas,
Mortem fugit mortalitas.

Hic viva lingua Mártyris,
Sed muta voce sánguinis
Clamans ut Abel, improbat,
Regique crimen éxprobrat.

Uníus, o, da, Trínitas,
Triúmque simplex Unitas,
Ut, qui Joánni súpplicant,
Id impetrent, quod flágitant.

Amen.

V. Pósui ori meo custódiam, allelúja. **R.** Cum consisteret peccátor advérsus me, allelúja.

Ad Bened. Ant. Quicúm-que glorificáverit me, glo-

rificábo eum: qui autem contēmnunt me, erunt ignóbiles, allelúja.

Oratio

Deus, qui ob invictum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiám tuam mártýrii coróna decorásti: da; ut ejus exémplo et intercessióne, ori nostro custódiam ponétes, beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Ubaldj Ep. et Conf.

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine quáesumus, placátus impēde: et intercessióne beáti Ubaldj Confessoris tui atque Pontíficis contra omnes diaboli nequítias déxteram super nos tuae propitiatiónis extēde. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

Ad Tertiam

Capit. Lábia, ut supra. 30*

R. br. Sacramentum regis abscondere bonum est. * Allelúja, allelúja. Sacramentum. **V.** Opera autem Dei revelare honoríficum. Allelúja, allelúja. **Gloria Patri. Sacramentum.**

V. Pone, Dómine, custódiam ori meo, allelúja. **R.** Et ostium circumstántiae lábiis meis, allelúja.

Ad Sextam

Capit. Eccli. 28, 28

Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire et ori tuo fácito ostia et seras.

R. br. Pone, Dómine, custódiam ori meo, * Allelúja, allelúja. Pone. **V.** Et ostium circumstántiae lábiis meis. Allelúja, allelúja. **Gloria Patri. Pone.**

V. Dixi: Custódiam vias meas, allelúja. **R.** Ut non delínquam in lingua mea, allelúja.

Ad Nonam

Capit. Eccli. 28, 29-30

Aurum tuum et argéntum tuum confla et verbis tuis fácito statéram et frenos ori tuo rectos et attēde, ne forte labáris in lingua.

R. br. Dixi: Custódiam vias meas. **V.** Allelúja, allelúja. Dixi. **V.** Ut non delinquam in lingua mea. Allelúja, allelúja. **G**loria Patri. **D**ixi.

V. Pósuí ori meo custódiam, allelúja. **R.** Cum consisteret peccátor adversum me, allelúja.

In II Vesperis

Antiphonae et Capitulum de Laudibus 30*. Psalmi de Dominica, sed loco ultimi Ps. 115 Crédidi (Confisus).

Hymnus

Jam faces lictor ferat, et minántem
Jam ferox ense, rabi-
dúmque tortis
Vínculis ferrum, sacra ni
sacérdos
Abdita pandat.

Séntiet vires, animáe-
que magnae
Pródigum pectus: violén-
tus ira
Non quatit recti sólida te-
nácem
Mente satélles.

En ruit praiceps tumu-
látus unda
Martyr, et fluctu plácido
siléntem
Náufragus linguam meli-
oris aevi
Servat in usum.

At superjéctae fáci-
lité nantes

Amne discúrrunt, rutilánt-
que circa

Mártyrem flammae: bene
gesta plaudens
Ornat Olýmpus.

Ornat et linguam, rósei
instar ignis,

Vívidam servans, et ad-
huc rubéntem,

Indicat, quae nam fúerit
tacéntis

Grátia linguae.

Sit decus Patri, genitáe-
que Proli,

Spíritum laudent, ab utr-
que puris

Qui calet flammis, sine
fine psallens

Orbis utérque. Amen.

V. Pósuí ori meo cust-
ódiam, allelúja. **R.** Cum
consisteret peccátor ad-
versum me, allelúja.

Ad Magnif. Ant. In con-
spéctu poténtium admirá-
bilis ero, et fácies prínci-
pum mirabúntur me: ta-
céntem me sustinébunt, et
loquéntem me respicient,
allelúja.

**Et fit Commemoratio se-
quentis tantum (S. Paschalis
Baylon Conf.):**

Ant. Similábo eum viro
sapiénti, qui aedificávit
domum suam supra pe-
tram, allelúja.

V. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum, alle-
lúja. **R.** Stolum glóri-
ae induit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Pa-
schálem Confessórem
tuum mirífica erga Córpo-
ris et Sanguinis tui sacra
mystéria dilectióne deco-
rásti: concéde propítius;
ut, quam ille ex hoc divíno
convívio spíritus percépit
pinguédinem, eámdem et
nos percípere mereámur.
Qui vivis et regnas.

**Completorium de Domi-
nica.**

Die 21 Maji

**De VI die infra Octavam
S. Joannis Nepomuceni**

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis
Chrysóstomi

**De verbis Isaiae Prophetae
Homilia 4**

Lectio iv

Rex cum sis, sacerdoti-
i principátum usúr-
pas. Sed mane intra tuos tér-
minos: álii sunt términi
regni, álii términi sacer-
doti; hoc illo majus est.
Neque enim ex his, quae
vidéntur, hic declarátur

rex, neque e gemmis illi
affixis, neque ex auro, quo
amíctus est, debet aesti-
mári rex. Ille quidem ea,
quae sunt in terris, sortit-
us erat administránda;
ceterum sacerdoti jus e
supérnis descendit. Quae-
cúmque enim ligáveritis
super terram, erunt ligáta
et in caelo. Regi ea, quae
hic sunt, commissa sunt;
mihi caeléstia: mihi cum
dico, sacerdotem intélligo.
Regi cörpera commissa
sunt; sacerdoti ánimae.
Rex máculas cörperum
remíttit; sacerdos autem
máculas peccátorum. Ma-
jor hic principátus: prop-
terea rex caput submíttit
mánui sacerdotis.

R. Instans oratióni et
ministério verbi, hortabá-
tur omnes, in propósito
cordis permanere in Dó-
mino: * Quia erat vir bo-
nus, et plenus Spíritu San-
cto, allelúja. **V.** Et appo-
nebátur multa turba Dó-
mino. Quia.

Lectio v

Verum rex ille sua tran-
síliens septa, modúm-
que regni transgressus,
conátus est áliquíd áddere.
Quid igitur sacerdos? Non
licet tibi. Vide libertátem,
vide mentem servíre né-

sciam, vide linguam caelos attingentem; vide libertatem incoercibilem, vide hominis corpus, et Angeli mentem; vide humi ingredientem, et in caelo versantem. Vidit regem, et non vidit purpuram: vidit regem, et non vidit diadema. Ne mihi dixeris esse regnum, ubi est legis transgressio. Non licet tibi, rex, venire in Sancta Sanctorum: transcendis septa tua: quaeris tibi non concessa; eoque quae accepisti, perdes. Non tuum est hoc, sed meum. Num mihi tuam usurpavi purpuram? ne usurpes meum sacerdotium.

R. Dispersionem, dedit pauperibus: * Justitia eius manet in saeculum saeculi, alleluja. **V.** Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem. **J.** Justitia.

Lectio vi

R. ex autem non sustinuit admonitorem: sed arrogantia inflatus, ingressus est templum, aperuit Sancta Sanctorum, quid autem Deus? Ubi igitur sacerdos contemptus est, dignitasque sacerdotii conculcata; nec quidquam praeterea potuit sacerdos: nam sacerdotis tantum est

arguere, liberamque praestare admonitionem, non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec jacula mittere, sed tantum arguere, ac liberam praestare admonitionem: Posteaquam igitur arguisset sacerdos, rex autem non cessisset; ibi sacerdos Deo: Ego, inquit, quod erat mei officii praestiti; nihil amplius possum: succurre sacerdotio, quod conculcatur; leges violantur, fas subvertitur. Quid igitur ille hominum amator? virum audacem ulciscitur.

R. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi: * Propter quod vigilate, alleluja. **V.** Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. **P.** Propter. **G.** Gloria Patri. **P.** Propter.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum

Lectio vii Cap. 11, 2-10

In illo tempore: Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis

suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi

Epist. ad Episc. et Presb. in carcere inclusos

Beati vos ob carcerem, ob catenas, ob injecta vincula: beati, inquam, et ter beati, immo saepius. Totum orbem vobis conciliastis: etiam longe absentes amicos fecistis. Ubique terrarum et marium canuntur vestra praeclara facinora, fortitudo, constans sententia, animusque minime servilis. Nihil, quod aliis videtur grave, vos deterruit: non tribunal, non carnifex, non tormentorum coactiones, non minae, quae innumeras mortes nuntiabant: non iudex, qui ignem ab ore flabat: non adversarii, qui fredebant dentibus, et innumeris aliis insultandi modis gestiabant: non tantae calumniae, non impudentissimae accusationes, non mors ante oculos quotidie proposita; sed haec omnia vobis uberem potius ac sufficientem consolationis materiam praestitere.

R. Cum corripere ab illo de omnibus malis quae fecit rex, adjecit et hoc: * Et inclusit Joannem in carcere, alleluja. **V.** Laborem usque ad vincula, quasi male operans; sed verbum Dei non est alligatum. **E.**

Lectio viii

Et idcirco clari quidem vos; et celebrant, ac praedicant vos omnes, non amici solum, sed inimici ipsi, qui haec effecerunt. Eorum si quis introspiciat conscientiam, licet non manifeste fateantur, inveniet etiam apud ipsos vestrum miraculum magnificari. Talis res est virtus, ut illam etiam impugnantes admirantur: talis res est malitia, ut etiam ii, qui eam operentur, condemnent. Et ita in hac vita res vestrae se habent. Quae autem in caelis fiunt, quis sermo digne explicabit? Inscripta sunt nomina vestra in libro vitae: cum sanctis Martyribus connumerati estis. Scio haec ergo certo, non quod in caelum transcenderim; sed e divinis oraculis didici.

R. Reddidit Deus justo mercedem laborum suorum, et deduxit illum in

via mirabili: * Et fuit illi in velamento diēi, et in luce stellārum per noctem, allelūja. **V.** Transvéxit illum per aquam nímiā, inimicos autem illius demērsit. **Et. Glória Patri. Et.**

Lectio ix

Nam si Joānes, ille infecūdae fructus et erēmi civis, nūptiis, in quas peccabātur, patrocínatus est, et cum praevaricatiōnem corrígere non posset, árguit tamen, et propterea in cárcerem conjéctus, et decollátus, Mátyr, et Mátyrum primus est: vos, qui légibus et constitutiōnibus patrum, quas transgrediúntur áliqui, et sacerdotio, quod invādunt et contáminant, patrocínámini, et propter veritatem haec patímmini, ut cessent impudētes calúmniae: cogitáte, qualem acceptúri sitis mercēdem. Non licet tibi habere uxórem Philippi fratris tui, dixit fortis et sublímis ille; satisque illi fuit ad recēntem arguēdi libertatem. Vos quoque dixistis: En expósa sunt étiam nostra córpora poenis, supplíciis, torméntis; absúme, cónfice ista, quibus voles sup-

plíciis: addúci non pósumus, ut calumniémur; sed millies mori nobis sátius est.

Te Deum laudámus.

Die 22 Maji

De VII die infra Octavam
S. Joannis Nepomuceni

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Fulgéntii
Episcopi

Sermo 77 de linguae
modestia

Lectio iv

Sapientissimus Sálomon ita locútus est, dicens: Vita et mors in mánibus linguae. Lingua clavis est pectoris, testimoniū cordis. Magnum tribúnal gerit intra praetórium sui oris, aut gratae salutis, aut amarae mortis. In qua negándo Deum, verbo uno facit sacrilégium, aut uno sermóne implet cum virtúte martýrium. Mátyres patiúntur; et post ipsam sepultúram, ipsis sermónibus vivunt, dicētes: Quoúsque, Dómine sancte et verax, non júdicas, et víndicas sanguinem nostrum ab his, qui in terris hábitant?

R. Instans oratiōni et ministério verbi, hortabátur omnes in propósito cordis permanere in Dómino: * Quia erat vir bonus, et plenus Spíritu Sancto, allelūja. **V.** Et apponebátur multa turba Dómino. Quia.

Lectio v

Beátum prétium hóminis lingua, si habet in ejus officio disciplinam. Haec omnia salvat aut júgulat: juvat vel accúsat, sanat vel trucídat: utrúmque laborat, cum álterum vexat, ut prius suis cásibus péreant. Inde Judas mendax Apóstolus, dum salútat Dóminum Christum, verbo uno fecit sacrilégium. Salus mundi suscepit Dóminum Christum: et ipse introívit in láqueum. Impóne igitur Christiáne, frenum linguae tuae, et libertatem ejus intra spelúncam tui oris inclúde. Millia verbórum refrenátis virtútibus adstríngere, ne fériat auctórem.

R. Dispérsit, dedit paupéribus: * Justítia ejus manet in saeculum saeculi, allelūja. **V.** Beátus qui intélligit super egénium et páuperem. Justítia.

Lectio vi

Audi Prophétam tálibus commināntem. Quid gloriáris in malítia qui potens es in iniquitáte? tota die injustítiam cogitávit lingua tua: sicut novácula acúta fecísti dolium. Inde habes dentes: morde illam, si tacere non póterit. In spelúncam, intra cárcerem indisciplínatam tui oris linguam inclúde: ne cum male exierit, eam gládus fériat. Impera illi, dum licet: quia non revértitur sermo, dum exierit. Si non potes bene loqui; líceat vel tacere.

R. Ego scio quóniam intrábunt post discessiōnem meam lupi rapáces in vos, non parcētes gregi: Propter quod vigiláte, allelūja. **V.** Et ex vobis ipsis exsúrgent viri loquētes perversa, ut abdúcant discipulos post se. Propter. Glória Patri. Propter.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthaeum

Lectio vii Cap. 11, 2-10

In illo témpore: Cum audísset Joānes in vinctulis ópera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui ven-

túrus es, an álium exspectámus? Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii
Epíscopi

In Decollat. S. Joannis Baptistae Sermo 55 ab initio

Audivimus vitiis obviásse virtútes; cum Heródis nequítia, Herodiádis luxúria, sancti vero Joánnis veneránda justítia demonstráta est, in tantum ut libénter susciperet mortem, ne viderétur conténnere veritátem. Vide, quae tria in unam convenerint causam! Miránda res, si recte discútias gravitátem Prophétae, luxúriam muliebrem, et Heródis saevíssimam feritátem. Dicite mihi, quid habétis cum Joánne Baptísta, Heródes et Heródiás, quos ad consórtium addúxit nóminum impúritas críminum? An hoc tímétis, ne qui vobis vocábulis conjugimini, in luxúria fórsitan separémini? Estóte certíssimi, quia sicut uno consénsu cáditis in luxúriam; ita uno nómine suscipiétis senténtiam.

R. Cum corriperétur ab illo de ómnibus malis, quae fecit rex, adjécit et hoc: * Et inclúsit Joánnem in cárcere. allelúja. **V.** La-

bóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. **Et.**

Lectio viii

Tenétis in cárcere justum, quia vobis legáliter interdixit incéstum; quasi possit veritas alligári. Etsi ómnia membra vinculórum néxibus adstringántur; sola lingua non potest custodíri, cui liberum est veritátem ab impiis contaminári. At inquires: Quare impedit desidérium nostrum? Ille potest desidérium impedire, cui licet in témpore flagítia removére. Nunc vero, cum hoc tibi denúnciat Prophéta, quia Dómini voluntáti displiceat; nemo fere sápiens erubescit audire, quod non pigúerit sine verecúndia perpetrare.

R. Réddidit Deus justo mercédem labórum suórum, et dedúxit illum in via mirábili: * Et fuit illi in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem, allelúja. **V.** Transvéxit illum per aquam nímiám, inimícos autem illíus demérsit. **Et.** Glória Patri. **Et.**

Lectio ix

Ohumána deméntia: ut luxuriétur Heródes, necátur Joánnes! Numquid Prophéta suo te térruit mérito, et non divino iudicio? Res est extrémæ deméntiae odísse loquéntem, nec metúere iudicántem: quasi idcírco jam non timeas júdicem reticéntem, si praecónem possis necáre clamántem: de quo Isaías testátus est, dicens: Hic est vox clamántis in deserto: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus.

Te Deum laudámus.

Die 23 Maji

In Octava

S. Joannis Nepomuceni

Martyris

Duplex majus

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis
Chrysóstomi

De peccat. non evulg.

Sermo 57

Lectio iv

Non haec medicamentórum istórum praecipua laus est, quod ánimas sanent, quod témporis lon-

ginitáte non corrupántur, quod a morbis non vincántur, quod eórum utilitas gratis propósita sit, quod ex aequo divítibus, et paupéribus páteat medicína; sed et áliud quíppiam níhilo minus his boni habent. Quodnam illud tandem est? quod nos ad hanc médici officínam veniéntes non divulgámus. Nam illi quidem, qui ad profánas medicórum officinas ábeunt, multos habent vulnerum spectátóres: hic vero non ita fit; sed cum innúmeros videámus aegrótos, occúlte illos curámus. Neque enim in médium addúctis peccatóribus eórum deinde peccáta divulgámus.

R. Instans oratióni et ministério verbi, hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: * Quia erat vir bonus, et plenus Spíritu Sancto, allelúja. **V.** Et apponebátur multa turba Dómino. **Quia.**

Lectio v

Hoc vero non médióriter illis prodest. Nam cum vulgi existimatióne simus addícti, quám diu quidem latére nos putámus, qui mali sumus,

fieri meliores studemus: postquam autem omnibus innotuimus, et solatium illud ex occultatione perdidimus; eo magis impudentes, ac negligentes evadimus. Et quemadmodum, quae deteguntur ulcera, sempérque frígido aëri exponuntur, acerbiora fiunt; ita quoque ánima peccati rea, si coram multis ob ea, quae deliquit, reprehendatur, impudentior evadit. Ne igitur hoc accideret, clam vos sermo curavit.

R. Dispérsit dedit pauperibus: * Justítia ejus manet in saeculum saeculi, allelúja. **V.** Beátus qui intélligit super egénium et páuperem. Justítia.

Lectio vi

Atque ut intelligátis, ádmodum útilem hanc occultam esse medéandi ratiónem, audíte, quid Christus dicat: Si peccáverit in te frater tuus, córripe eum. Et non dixit, inter te, et civitátem, neque inter te, et ipsum solum. Sit sine téstibus accusátio, inquit, ut facílitor fiat mutátio in melíus. Magnum ergo bo-

num est, si non públice fiat cohortátio: súfficit consciéntia, súfficit incorruptus ille judex. Non ita tu peccatórem reprehéndis, ut ipsíus consciéntia (quippe quod aspérior illa sit accusátor) neque delicta ejus accurátius nosti. Noli ergo vulnus vulneribus áddere, dum auctórem peccáti divúlgas: sed semótis árbitris admonitió-nem adhibéto.

R. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi: * Propter quod vigiláte, allelúja. **V.** Et ex vobis ipsis exsúrgent viri loquéntes perversa, ut abdúcant discípulos post se. Propter. Glória Patri. Propter.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum

Lectio vii Cap. 11, 2-10

In illo témpore: Cum audisset Joánnes in vinctulis ópera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

In var. Matth. loc. Homília 16

Ténuit, inquit, Joánnem, et álligans pósuit eum in cárcere. Heródes, te petit causa, te árguunt vinctula, te carcer accúsat; te divúlgat producta in públicum poena. Joánnes injuriátur: causam custódiat, qui requirit, in te invenit, quod púniat, et in Joáñne, quod dóleat. Joáñnes orbi notus, famae virtúte cónnitus, celebratíssimus sanctitáte, dum átrahit ad se inquisitóres injúriae, facit, ut tuus cunctis innotéscat incéstus: agit, ut te hábeat confúsió pública, quam corrigere non váluit secréta corréptio, et priváta. Heródem Joáñnes mónitis, non accusatióne pulsávit, útpote amátor castitátis, quem corrigere vóluit, non perire. Sed Heródes fáciibus libidinis ardens, perire máluit, quam redire.

R. Cum corripéretur ab illo de ómnibus malis, quae fecit rex, adjécit et hoc: * Et inclúsit Joánnem in cárcere, allelúja. **V.** Labóro usque ad vinctula, quasi male óperans: sed

verbum Dei non est alligátum. Et.

Lectio viii

Odiósa sit semper libértas. Nam virtus contrária vitiósis, sacrílegis exósa sánctitas, inimica cástitas impudicis, corrúptis intégritas paena, luxuriósis advérsa frugá-litas, crudélibus dura semper misericórdia, impiis pietas non ferénda. Probat hoc Evangelísta, cum dicit: Dicébat Joáñnes: Non licet tibi accípere uxórem Philíppi fratris tui. Ecce, unde Heródes furit: malos, qui monet, offéndit: incúrrit ódium, qui árguit criminósus. Dicébat Joáñnes, quod erat legis, quod justítiae, quod erat salútis; certe quod erat, non ódii, sed amóris. Ecce qualem consecútus est ab impio pro pietáte mercédem.

R. Réddidit Deus justo mercédem labórum suórum, et dedúxit illum in via mirábili: * Et fuit illi in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem, allelúja. **V.** Transvéxit illum per aquam nímiám; inimícos autem illius de-

mérsit. Et. Glória Patri.
Et.

Lectio ix

Volens, inquit, occidere eum, timuit pópulum. Fácile déviat a justítia, qui in causis non Deum, sed hómines formídat. Huic timor peccánda differt facultátem, non aufert vo-

luntátem. Unde étiam, quos suspéndit a crimine, avidiôres reddit ad crimen: et áestuat ánimo, quoúsque perficiat, quod cógitat, malum. Solus enim Dei est timor, qui nocéntes córrigit, fugat crimina, innocéntiam servat, pèrpetem tribuit facultátem. **Te Deum laudámus.**

Index alphabeticus

Clementis Mariae Hofbauer Conf., duplex. 15 Martii	4*
Floriani Martyris, duplex, 4 Maji	20*
Joannis Nepomuceni Martyris, duplex I. cl. 16 Maji	22*
— De VI die infra Octavam, semiduplex. 21 Maji	33*
— De VII die infra Octavam, semiduplex. 22 Maji	36*
— Octava, duplex majus. 23 Maji	39*
Joannis Ogilbaei Martyris, semiduplex, 10 Martii	11*
Joannis Sarcander Martyris, semiduplex. 23 Martii	7*
Ruperti, In Obitu, Ep., Conf., duplex majus. 27 Martii	11*